4.d. Latin Poetry vol 2. K

SATIRA

IN

Poetaſtros O-C---ENSES.

----*Tractant fabrilia Fabri;*
Scribimus indocti doctiq; Poemata paſſim.
Horat. Epiſt. lib. 2.

LONDINI,
Anno Dom. M DCC II.
4. July.

1702

Lectori Benevolo.

HAC *Præfatione*, *Amice Lector*, *te nullâ de ratione commoratum habuiſſem, niſi aliquot Ingenioſi, déque Poeſi optimè meriti Viri, qui* hujus noſtræ Satiræ *qualiſcunque legendæ ſibi veniam impetraſſent, nè aliquí, ſive Malitioſi, ſive Ignari Homines, quæ honeſto ſcripta erant animo, alitèr interpretarentur, ſe vereri dixiſſent: Nè igitur erga* SERENISSIMUM REGEM *&* HEROICISSIMUM PRINCIPEM, *nupèr vitâ defunctum, Invidus aliquis me Malevolentiæ ſe ſuſpectum habere ſubſuſurrâſſet, ex ſingulari Eorum affectione ſuaſerunt, ut extra omnem dubitationem rem ponerem, & quàm optimè erga* TANTUM MONARCHAM *ſempèr fui affectus, quantâque Veneratione tam* SACROSANCTUM CAPUT, *Diviníque Cultus obſervantiſſimum, tam Populi ſui, adeóque* Reipublicæ BONI *cupidum, ac Salutis Utriuſque, tum* BELLO *&* PACE *tam Strenuum* DEFENSOREM *colendum duxi, oſtenderem. Hâc in re inſudare de novo, &,* QUEM *eouſque in Poemate ipſo ubique ferè, vel apertis verbis, vel ex conſequentiâ-*

consequentiâ pro meo modulo extuli, hîc rursus EUNDEM *Laudibus ire cumulatum, nonnullis opinor superfluum, quamplurimis non necessarium videbitur. Ut autem unà meis Amicis faciam satis, & Inimicis, si quos invenero, omnem malitiæ locum eripiam, palam profitear* NUPERO REGI *longè* OPTIMO & MAXIMO, *quàm me, Neminem fuisse meliùs affectum, neminem Ejus magis colentem; Facilè possum attestari Amicos, & præterea, qui me nôrunt, omnes, quoties hâc in Urbe* HUNC AUGUSTISSIMUM & CELEBERRIMUM PRINCIPEM, *etiam cùm inter eos inciderim, quorum de eo subobscuræ erant Sententiæ, Encomiis, quantis potui, prædicaverim; Et ut nunquam malorum Hominum odia & Inimicitias* TANTI PRINCIPIS *gratiâ in me suscipere fugerim. Hunc, cùm nemo Omnium magis amavit, admiratus est, coluit Vivum; ità nec Hunc Mortuum quis, quàm ego, magis deflevit; Cujus ex Morte, nè Fortunæ, Salutes adeóque Vitæ omnium nostrum in summum discrimen vocarentur maximè nobis verendum fuisset, ni* REGINARUM OPTIMA, & QUAM *jam* HEROINAM *Virtute* PRÆSTANTISSIMAM, CONSILIISQUE NON MINOREM *cognovimus, post* TANTUM REGEM *ad Imperium opportunè accessisset. Sed hæc hujus loci non videntur. Ut igitur, Benevole Lector, quid hâc in Sâtirâ egi, rectè capias; Eos, qui nimiâ gloriæ siti impulsi,*

ſi, parùm intereà Poeſeos ſcientes, TANTI PRINCIPIS *Maximas Res Geſtas nihilo minùs Verſibus celebrare ſuſceperint, ridendos propinavi. Certè ſi hi Scripturientes, vel tam* EGREGII & MAGNI PRINCIPIS, *vel etiam Suiipſius famæ conſultum haberent,* tantæ difficultatis *Opus, cui nemo Modeſtus ſe parem eſſe dixerit, nunquam tam temerè (nè dicam ſtultè) aggrederentur: Sibi enim, quam etiam adeò perditè cupiunt, gloriam non aſſequuntur, &* PRINCIPI, *cujus magnas Res Geſtas pro merito efferre nunquam poterint, apertam faciunt injuriam,* CUI *ipſi (ſaltem ex ſuâ miſerâ ſcribendi ratione) veræ laudis non modò nihil attulerint, quin etiam multum detraxerint. Vides tandem, Amice Lector, hujus Operis Inſtitutum. Dedi operam, quâ poſſum ſedulitate, ut Artis Poeticæ neſcientes, aut ſaltem in eâ non multùm verſati, quæ vires nimiùm quantum ſuperaverint, ea tractare nimis temerè non audeant, nè per eorum inſcitiam* REGIS CELEBERRIMI DIGNITAS *turpitèr patiatur. Si qui verò ſunt, qui Legitimum ſcribere Poema optimè nôrint, iſti ſi ſecum decreverint* TANTI REGIS, *ſive Res Bellicas laude, ſive Ejus Mortem luctu proſequi, (uti jam Plurimi non ſine multo merito fecerunt) tam longè ſum, ut Tales de ſuo Propoſito deducere coner, ut etiam Inſtitutum exequi, quantum poſſint, hortor & ſuadeo. Uniuſcujuſque certè Civis eſt modò cum laude poteſt, tam* EXIMII & INCLY-

TI

Lectori Benevolo.

TI HEROIS, (*in Quem Unum Totius Europæ Oculi nuperrimè conversi fuerunt*) *Maximas Virtutes, quantum in se est, prædicare: Sin verò cum laude non potest, meliùs fuerit eas modestè tacere, quàm loquendo non benè, eas parùm efferre, aut etiam offuscare. Nulli, opinor, Bono Civi ex meo erga Regem* (*de omnibus suis Civibus tam optimè olim meritum,*) *magno amore aut ingratum aut molestum faciam; et licèt Aliis faciam, nihil esse cur de hâc re sim sollicitus, mecum, haud dubito, Benevole Lector, non invitus fatebere.* Vale.

SATI-

SATIRA
IN
Poetaſtros, &c.

NON meritò iraſcar cùm tot prurigine Famæ,
Quos neq; Melpomene, neq; Clio, aut ulla Sororum
Donavit Citharâve, Lyrâve, aut Pectine dulci,
PRINCIPIS INVICTI conentur dicere laudes?
Quiſque ſibi Muſam ſelegerit & prece blandâ
Sæpius impulerit faciles uti commodet aures:

Audi, Muſa, precor (memini te ſuavis Alumni
Docto hederæ capiti circumpoſuiſſe coronam.)
Da mihi Parcarum fatales dicere Leges,
Et nimiùm duras; gemitus da Principe dignos:
Sed primùm fac Bella canam celebréſque Triumphos,

Et quoties laurus circum ſua tempora ſerpſit.
Nil te, Muſa, latet; nôſti omnia; prælia quanta
Geſſerit, invictus quantos proſtraverit hoſtes,
Ut circumtonuit, Mauros ut terruit acres,
Compuleritque Scythas ſua vertere terga fugaces.
(Hæc canet ignarus ſcribendi Legis & Artis,
Quidque ſit eximium, quid verè nobile, quid non
Inſcius, innumeras à falſo nomine ducet
Laudes & celebres partos de gente Triumphos,
Quam fortaſſe ſuus non unquam viderit Heros.)
Gallica Gens pugnæque ſciens, & marte parata
Sæpiùs imparibus fruſtrà certaverit armis.
Non Sthenelus, non Idomeneus, non fortis Achilles
Talis belligeros apparuit inter Achivos,
Qualem ſe ille ſuis oſtendit STRENUUS HEROS.
Vidiſti (nam certè aderas) quot miſerit Orco
Pugnaces animas, dederit quot naula Charonti,
Et quota, vidiſti, cecidit ſævo hoſtia Marti.
Hæc de Marte canit, quo PRINCEPS tantus & armis,
Ut quocunque venit ſequitur victoria læta.

Porrò

Porrò quid poterit confectâ pace, referre
Pergit ovans, (Pythii veluti qui numine plenus)
Geſtit magna loqui, ſed nec ſtat mente, nec ore
Effari poterit ſibi quæ Dea Muſa retexit:
Invocat at Muſam tamen, & quæ notus Alumnus
Concipit, eloquier, quæ poſtera legerit Ætas,
Poſſe rogat: Nam nil faciet ſine numine Muſæ.
Dein, velut ipſa preces audiverit, incipit audax:

Exordire novos cantus, Dea; carmina cedro
Sint mea digna tuo pulſus quæ numine dicam.
Non caput obſcurum loquor aut mortale, ſed ipſis
Dîs Heröa parem, ac uno Altitonante minorem.
(Ridiculum! Superis cùm Dîs miſcere Poëta
Audeat inſanus pectus mortale gerentem:
Sed quid non liceat dementibus atque Poëtis?)
Marte & Pace parem conſpeximus; optimum utroq;.
Pax quoties nitidis circumvolitaverit alis
Angliacas oras, dederit quam DIVUS & Heros,
Experti toties fuimus Saturnia Regna,
Qualia prima Hominum felix cognoverit Ætas,

Cùm nondum innocuas tentârint crimina mentes.
Vidimus in Terris regnantem Heröa DEUMQUE,
(Qui modò Divus erat ſubitò eſt factus Deus, & qui
Par modò erat Superis, minor at Jove, Jupiter idem
Fiet, ſi Vati placeat. Quis ſanus haberi
Vult ipſe, & tamen hos neget inſanire Poëtas?)
Vidimus Aſtream deductam ſedibus altis
Principis Imperiis, Virtutibus undique fultis,
Quæ pia, quæ caſta, & præſtantia Legibus æquis
Novimus; experti feliciter integra Regna.
Culta Deis Pietas cultores repperit Anglos,
DIVA nec erubuit noſtræ fieri Incola Terræ,
Sub SACRI Auſpiciis, nulli Pietate ſecundi.

Hôc ſimul ac bino laudavit nomine REGEM,
(Et Belli & Pacis) magis ut nihil addere poſſit;
Multâ operâ elatas rapit in cita Funera Laudes,
Quò magis affectum dederit miſerabile pectus.
Qui ſe præſtiterit magnum virtute, bonumque,
Vitæ major, agent ſi Publica Commoda damnum,
Durior & ferri jactura erit, atque ab ocellis,
Primò affecto animo, lachrymas elecerit udis.

Non

Nonnihil hîc Artis tu agnoveris: Haud nego; Leges
Calleat has rectè modò, & inſtet, mirer amemque.
Sed ſi pauliſper patiens adverteris, Arte
Turpiter elapſum rurſus ridebis eundem,
Qui chordâ, modò quâ peccavit, oberret eâdem.

Funera feſtinat lachrymis donare, ſuámque
Urget Melpomenen (quid enim? ſua quæque ſororum
Dicetur) Citharæ ut Chordas accommodet aptas
Fletibus, & Lyra nil reſonet niſi triſte, precatur.
Deinde petens gemitus ex imo pectore triſtes,
Humeſcenſque genas, exorſus talia fatur.

Heu! nimium miſeros mortali ſorte creatos!
Nec Pietas avido, neque Virtus liberet Orco?
Nil tibi profuerit quâ ſis naturâ animóque,
Quantáve molem agitet divinæ particula auræ?
Heu! nihilo SACRO CAPITI Libitina pepercit
Plus aliis animis, nihilo plus vilibus Umbris?
Quem Dîs uſque parem ſuperis ſe Heroa gerentem
Vidimus, in terris quo majus nil priùs ortum eſt,
Quem neque credidimus mortali ſtirpe creatum,

Hunc

Hunc nimiùm duræ nobis rapuere Sòrores?
O Gradive, feræ victæ, genibuſque minores
Cujus tot Gentes jus imperiúmque tulere,
Quemque per obſtantes medias equitare catervas
Intrepidum adſpexti, indubióſque referre Triumphos,
Cur ſic immeritum ſineres occumbere leto?
Dìque Deæque omnes, Túque O Pater optime, Tales,
Supremi fas eſt expertes vivere fati:
Morti HUNC ſurreptum ſaltèm vel oportuit UNUM.

Quis teneat riſum? Vel cui non provocet ultrò
Bilem correpti veſania tanta Poetæ?
Dixeris Anticyram talem non eſſe legandum?
Sanæ mentis erit quiſquis Decreta Deorum
Spernet, & Æternæ jus inviolabile Legis
Mutandum putet, ipſo conſiliis Jove major?
Annè impunè ferat patiar ſua carmina? pravam
Hanccine ſtultitiam, toties vexatus, inultam
Segnis inérſque ſinam, Satiram neque ſcribere coner
Audax, quò vitia hæc Satirâ digniſſima vellam?
Deſinite O Vates! promittitur ultio nugis.

Non

Non mittes hodiè noſtra, Improbe, carpere? Motum
Novimus invidiâ te nunc maledicere. Fac nos
Inſanire: Doce tu, qui ſis tantus in Arte,
Scribi quî poterint meliora Poëmata noſtris.
Verùm (O Pompilius Sanguis) num ponitis iras?
Ponimus, arrecti ad tam multa & magna minantem.

Si fortis teneat pangendi Carmina ſitis,
Nec dormire licet, pellente cupidine, laſſis;
Conſulite imprimis, quam rem tractare futuri,
An ſuperet vires, an ſit modò viribus æqua.
Aggredier turpe eſt humeri quod ferre recuſent.
Permagni refert quid, quomodò dicitur. Unum
Quodq; locum proprium ſibi vindicet. Auribus ægrè eſt
Si verbum, contrà quàm poſtulat ordo, feratur.
Intererit multùm Deus an celebretur, an Heros,
Nè dederis Titulos Huic Illius, Hujus & Illi:
Ut ſi plebeio Capiti Diademata ponas,
Atque ſuas humeris Regalibus undique pannos.
Attamen Hunc Heröa Deis ſi non volo miſtum,
Ergò continuò, quantum mereatur, honorem

Non

Non tribuam; quin plus etiam fortaſſe libentèr
Concedam: Superis tamen exeat impar. Adhuc ſi
Interſit vivis, celebris virtute, Peritus
Belli, Pacis amans, rigidus ſervator Honeſti,
Quod poteris laudato, &, dum licet, utere Tali.
Quòd ſi tam dignum Diademate funere tollet
Immitis Lacheſis, lachrymas effunde decentèr;
At noli precibus Superos impellere iniquis,
Hunc immortalem quod non ſtatuêre. Deos vis
Prudenter poſitas reſciſſas vertere Leges?

Nos iterum vellas mordacitèr, Improbe? Regis
Laudibus invideas, & noſtris Verſibus. Heus tu,
Ni caveas, certas pœnas dabis. Anne ego? Quare?
REGEM plus vobis colui, plus ſempèr amavi.
Arma per Europam victricia, prælia geſta
Militiæque domique diu tenuere ſtupentem:
VIRTUTE EXIMIUS (tantum non par Superis Dîs)
Vivus, defunctus miros mihi movit amores.

Cur igitur timidus nil TANTO PRINCIPE dignum
Aggrederis? Cur non (uti nos) ſua Prælia dicis,

Et,

Et, cui non aliis minùs, aut forſan magè debes,
Non quæris meritum gratâ celebrare Camænâ?
O, ingens narratis opus, Vos carmine docti,
Latius auguſtis humeris. *Ducis* optimus olim
Romani Flaccus ſuffugit dicere laudes,
Suffeciſſe negans ſibi tanta ad pondera vires:
Ipſe, minor Flacco, MAJOREM Cæſare dicam?

Atqui ſi Clypeos & pila minantia pilis,
Martis opus ludúmque, minùs, quem caſtra, boníque
Militis Ars fugiunt, poteris canere; haùd tamèn alto
Pectore ſingultus proferre & lugubre Carmen,
Te latet; his ſaltem donato funera REGIS.
Non leviùs noſtrum ſit veſtro pectore curâ
Tactum, Piſones, nedum leviore dolore:
Sed neque Melpomene Citharam dedit apta ſonantem,
Triſtia quæve ſatis; mihi nec dabit ulla Sororum.

Carminis ignarus, Muſíſque alienus, Alumnos
Nóſne doces? Docui jam vos, & plura docebo.

REGIS ad interitum si fortè repentè refulsit
* Stellula; Phœbe, licèt nondum sis mersus in undis
Hesperiis, Vestrûm non quis mirabitur, instar
Turbæ, quæ stultè stupet omnia, nescia rerum;
Quis temeréve recèns emergere dixerit Ignem,
Continuóve ILLUM in Superûm numerum esse relatum.
Luce tamen mediâ resplendet & occupat omnes.
Omnes viderunt? Omnes; Sonitúmque dedere,
Lætitiæ signum, Populo stipata Theatra.
Sic vos, quod Populum, caput & vulgare moratur,
Detinet hærentes? Priùs haud apparuit Ignis.
Vos quia tam proni in terras non antè tueri
Sidera curâstis: Posthac simul ignea cœlum

* Nè hic locus nimis obscurus videretur, de eo lectorem paucis submonui. Literis fortasse non ita olim ab Amico acceptis, ex iis certior sum factus paucis diebus post obitum Sereniſſimi Regis, aliquos cæteris aliquantò magis superstitiosos, conspicatos esse, sive Stellam, sive Planetam, quem circa tempus meridianum, vel non adeo multò post, præter quod solet evenire, miro splendore emicuisse constantèr asseruerunt. Ex quo Carmina C——ensia in lucem fuerunt edita, quæ satis accuratè legi, rem esse ita, uti accepi, ex ipsis liquidò constat. Poetæ enim occasionem avidè arripuerunt, & Miraculi loco habentes, nihil magis, quàm hunc Planetam (qui non alius erat quàm Venus) ipsius Regis gratiâ se ostendisse, credi sibi volunt. Hîc eorum ineptiæ mordaci satis joco vellicantur, qui, si fortè fit ut Stella, vel Planeta circitèr tempus alicujus Monarchæ aut Principis obitûs in visum prodierit, aliquod ipsos Deos vel minari Reipublicæ Malum, vel contrà polliceri Bonum continuò vaticinantur.

Pertinget

Pertinget medium, depulsâ nube, Quadriga,
Protinus ite foràs; oculis rimarier Orbes
Tum jubeo æthereos. Locus hic fortaſſe racemis,
Conſitus arboribus, viſus intercipit. Agros,
(Hîc nihil obſtiterit) petere in vicina jacentes
Hortor: At hi forſan, propiores vallibus, imi
Non magis hos Ignes dederint, quos quæritis. Ire
Poſtremò jubeo Parnaſſum (vos benè nôſtis
Qui colitis Muſas) ſatis eſt hæc edita ſedes:
Lumine rimari modò ſat poſſitis acuto,
Hîc præter Phœbum, ſe oſtendet plurimus Ignis.

At male ſalſe tamen pergis nos ludere? Forſan
Tu videare tibi ſolus ſapere, inter & omnes,
Unum te præter fatuos, (non ipſe medende
Vel tribus Anticyris) maleſanum ſerpere morbum.
Omnes decipimur ſpecie te præter? & Aſtrum
Angliacis Oris aliquid portendere rerum
Ignari Vates temerè collegimus? Ohe!
Vos fateor doctos: Ceſſent Oracula *Delphi*:
Vos, O veridici Vates, nunc conſulo. Stella
Si fors continuò ſupra Capitolia fulget

Poſt immaturi cita funera Cæſaris, ipſi.
Sive loco inſiſtit, facta eſt ubi barbara cædes,
Quid portet Populo (mihi reſpondete) *Quirini?*
Finibus Italiæ num Bella futura minatur?
Uſque licèt tundes non reſpondebimus. *Anglis*
Quæ nupèr micuit, quo effulſerit *omine*, Vates?
Cædéſne, an potiùs tulerit bona commoda Pacis?
Si inſanire libet, facias hoc ſolus. Abimus.
Strenuè Io! magè me Inſanos tam fortis abegi?
Ite, nova aſtriferis deprendite lumina cœlis;
Veſtráque pòſt ſtupeat miracula credula Turba.

Vatum aliud genus eſt quod febre laborat eadem:
(Num dixi tamen hos vates? me corrigo: Vates
Audirent cupidè) At felicem neſciat Artem
Quæ decorat frontem foliis, vulgóque profano
Secernens miſcet Superis Dîs docta canentem.
Hem tacitè ſecum: Quid agam? (puta in aëre natum
Bœotum craſſo, loquitur qui talia.) Muſæ
Cur non Sicelides & me fecere Poëtam?
O quàm dulce foret digito monſtrarier! *Hic eſt.*
Dama, vides Populi qui lumina vertit & ora

In

In ſe mirantis, quoties fora præterit? Ille eſt
Dave, ſuis nuper qui vivi Prælia Regis
Verſibus ornavit, ſibi texuit atque coronam
Temporibus, ſequitur quæ doctos Carminis? Idem.
Et meruit foliis, nihilo brevioribus antè,
Ornari, Citharâ qui REGIA FUNERA dignâ
Donavit, CELEBREM COELISQUE HEROA locavit.
Auribus has Populi quàm ſuave reponere voces!

Experiar, ſi quid potero. Æquè nemo lubentèr
Audiret doctus. Tamen heu! mihi craſſa Minerva,
Ac pingue ingenium prohibent *Hederacea Dona.*
Quòd mihi divitiæ non deſunt, gratia Dîs eſt.
Hæ mihi concilient, quas nunquam mî ipſe pararem,
Muſas. Num paucis poſtponam nomina nummis?

Heus, Syre, Virgilios, Varios, Flaccóſque Poëtas
Quære hodiè; (benè erit modo ſi conveneris) Omnes
Sollicitos habeas. Hâc tempeſtate Camænas
Dic colere unumquemque, nec *hunc* non velle libentér;
Immemorem non dicet, opem ſi quis feret. Inſta.

Mandata

Mandata accipiens, it, quærit, convenit. Atqui
Quiſque negat: cœptis prohibet pudor optimus altis.
Servus hero rediens, Illi quid, dicit. At ille;
Actum eſt, continuò, & perii, niſi nuncius alter
Mi redies hodié. Rurſus percurſitat omnes
Mancipium plateas, cùm illi per tempora forſan
Mævius occurrit, qui peſſima Carmina condit:
Convenit & rogat. Hic ſine magnâ dote recuſat.
Quantum vis? Quantum? Quingentas dicito drachmas.
Dicam, & reddet herus. Quid multis vos moror? Ille
Lætus herum repetens, narrat promiſſa. Meóne
Tantum, inquit, clarè ſpondiſti nomine? Frugi es.
Nil nimium eſt. Veniat. Commuto Carmine nummos.

Ergo adeóne animo eſt, venias ut in ora virorum?
Tanta rapit ſitis laudis, nihil ut tibi curæ
Quanti empta eſt? Nihil. At nec tamen undè requiris:
Undè, nihil curo, ſi aliquâ ratione paretur.
Mævius an Varius, Baviúſne an Flaccus & ipſe
Scriba

Scribat Virgilius, qui ſuavis & alter Homerus,
Intererit multúm. Tu nec tibi conſulis ipſi,
Nec magis Heröi, niſi ſcripta Poëmata cures
Scripta benè; An Bavii percraſſi, ſintne Maronis
Securus docti. Temerè commiſeris uſque
PRINCIPIS EGREGII duro celebranda Poetæ
Inclyta facta: malâ meritum detriverit Arte.
Tutiùs & meliùs poteris committere Scenæ,
Qui neque Perſonam neque geſtu noverit uti.
Aptè ſæpè facit, pulchrè quoque Ruſticus Actor,
Quæ benè Naturæ ſunt convenientia, ſic, ut
Non melius poſſit qui multò doctior Arte.
Atqui Scriptoris pravi mala Carmina facta
Splendida turpè linunt; nec ab hoc demittitur Heros
Unquam par, ſimiliſve ſibi, aſt inglorius omnis.

Vates Alexandrum deſcripſit Chœrilus olim,
Non adeò bonus Arte, tamen qui multa placeret.

Charum Dux habuit, fateor, dedit atque Philippos
Regales nummos, ſed ſtultè fecit utrúmque.
Quantò conſuleret ſibi rectiùs Inclytus Armis,

Hunc

Hunc ſi conductum ſua Facta ſilere teneret,
Quàm dicendo male ſineret decerpere honores,
Fortiter & Geſtis nebulas obducere Rebus?
Quid tu vis igitur faciam? Quid conſulis? An me
Omninò nonvis aliquem conducere Vatem?
Nolo, & erat melius, ſeu REGI, aut conſulis ipſi,
Mævius & *Bavius* cùm ſoli hoc tempore ſcribunt.

FINIS.